

1591

C O D I C E S

1592

(Weinsberg?) vnus *Johannes alius leuinus appellatur moram trabentes zum Hoflein prope egram in dyocesi P. V. tanquam seminatores cuiusdam noue ac stultissime secte que ad exterminacionem totius status ecclesiastici exceptis quatuor ordinibus mendicancium tendit. Tenent enim cum complicibus suis quorum hinc inde numerus esse dicitur, quod natus sit de muliere amicta sole, de qua in Apocal. dicitur, filius qui sit et dicatur vnus saluator qui tertium et finale testamentum introducere debeat, qui sit ille pastor, de quo in ewangelio christus dixit, erit vnus pastor et vnum ouile, per quem omnes credentes in eum debeant illuminari spirituali et interiori luce ad cognoscendam sanctam trinitatem sicuti in se est. Et quod papa sit anticristus et omnes prelati &c. Esse ex iis, qui se dicat *Johannem de Oriente* tanquam Praecursorem, componi et spargi ab eis libros, in confessione putare sibi licitum mentiri, ideo difficulter detegi, &c. Subiuncti sunt Epistolae *Articuli* non minus deliri, quorum primus: *Quod tertia persona spiritus sancti non sit secundum esse, sed secundum dici.**

XV. fol. 193. p. 2. *Eistoldi de melodia dicti Astronomi de collegio parisiensi Vaticanum: quod in anno gratie videlicet 1469. in die mensis Ianuarij incipiet mundi euacuacio cleri decisio christianitatis deposicio potentum scilicet Imperatorum et regum expiatio et quae sunt eiusmodi infana.*

XVI. fol. 194. *Sententia Excommunicationis lata in Georgium seu Girsicum de Podiebrad Regem Bohemiae auctoritate Pauli II. Pont. per Rudolphum Ep. Lauantinum eius ad almanie et regni bobemie partes legatum. Terificis formulis scatenens incipit: Cum notorium sit adeo ut nulla tergiuersacione celari possit dictum Georium siue Girsicum de emendacione sua uel reditu ad gremium sancte matris ecclesie nusquam sed de supplantacione fidelium continuo cogitare &c. Et tamen Cochlaeus Hist. Hussit. L. XII. magnam Regis moderationem erga Romanae Sedi addictos praedicat, additque eum extremo morbo laborantem per affines suos Duces Saxoniae Romae egisse, ut Dirae rescinderentur, quas ei iam Pius II. si *Andr. Victorello* in addit. ad *Ciaconium* fides, meditatus fuerat.*

XVII. fol. 195. p. 2. *Ritus imponendi Crucem Proficiscentibus. Initium: Si quis proficisci desiderat, crux ita imponitur. Primo benedicitur per hunc modum. Itaque Preces, uti dein in ipsa Impositione.*

CCCCXVIII.

Codex chartaceus lat. boh. 937  
Sec. XV. Folior. 248. 4. a diuersis manibus, partim per duas columnas conscriptus amplam continet Farraginem, quae hic percensetur: I. *Epistola Andree doctoris Brode missa Magistro Johanni Hus insulsa et falsa. Ita vifum*

1593

## P O L E M I C I.

1594

vifum Librario *Huffitae*, qui tamen in utroque nomine falli videtur. Adi *Codd. CCCCXV. CCCCXVII. &c.* Initium: *Eloquenti viro domino A. verbi dei seminatore in Praga &c.* Nota temporis ad calcem hujus Exempli nulla.

II. fol. 30. *Abjuratio Johannis de Alkmaria in concilio constanciensi facta, quod layci non debent auferre bona temporalia a clericis.* Additum initio: *Male fecisti quod abiurasti. Penitebis in illo mundo.* Initium: *Cum in divinis scripturis sanctus spiritus proclamatur. Qui subtrahit aliquid a patre suo &c.* Inter alia: *Ego Johannes de Alkmaria clericus Traiecten. diocesis. Magister in Artibus studij parisiensis. et in Theologia Baccalarius contra premissas (de Bonis Ecclesiasticis) doctrinas sanctissimas quandam scripturam composui XXX. articulos continentem, qua persuadere curavi Serenissimo et catholico principi Domino Regi Romanorum primo presentando eandem, et deinde eandem transmissi excellentissimo principi Regi Anglorum, licet nulli alteri communicaverim in scriptis, nec predicaverim uel in scholis docuerim, quod feci ductus simplicitate et ex malicia credens benivolentiam tantorum principum per has mendaces fallacias acquirere et exinde temporalem compensationem reportare &c.* En finem purissimum Reformatoris! Sub finem: *Et hanc confessionem et obligationem — volo dirigere ad Regnum Anglie Regi Regine et*

*Baronibus ac Episcopis. et ad Opidum Alkmaria. unde traxi originem &c.* Factum id esse post *Hussi* interitum, liquet ex his: *Qualis denique Johannes Hus in hoc sacro Constan. Generali Concilio iusto dei iudicio dampnatus fuerit &c.* Notae tamen chronologicae absunt; neque scio, utrum Scriptum istud memorabile lucem haecenus viderit.

III. fol. 32. *Quod layci non debent auferre a clericis bona temporalia.* Addit rubrica: *Falsum est.* Brevis Observatio, quae infit: *Quamuis in nulla unquam lege &c.*

IV. fol. 33. *Accusatio Regi ungarie super Sacerdotes Hussitas in Regno Boemie.* Additum initio: *Sigismundo et friuola et iniusta.* Est Epistola Concilii Constant. ad Caesarem, quae extat in *Collect. Labb. Concill.* edit. Venet. T. XVI. col. 286. Init: *Variis delationibus et clamore ualido &c.*

V. fol. 36. *Propter articulos subscriptos Johannes papa XXIII. est per Concilium Constanciense eiectus a papatu Anno 1415.* Extant in *Actis Hardtiamis* T. IV. P. 3. p. 196. hoc initio: *Coram vobis sancta Synodo Constan. &c.*

VI. fol. 50. *Processus circa condemnationem Johannis pape supra et infra descriptus quem propter tot enormia condemnatum uelud alterum latronem Barrabam dimiserunt, Innocentes vero Magistros Jo. Hus et Jeronimum propter mendosos articulos et confictos condemnarunt.* Ita quidem

1595

## C O D I C E S

1596

visum Librario nostro. Referuntur hic, quae acta sunt a. 1415. Die 5. 25. et 29. Maji cum *Johanne* profugo, citato, *Cellas* deducto, deposito, una cum *Decreto Synodi*, quod extat in *Actis supracit.* p. 282. Praecedentia vero, prout hic in *Codice* habentur, in impressis *ad verbum* non reperio.

VII. fol. 52. *Passio martiris gloriosi Johannis* huius *Patroni incliti Bobemorum*. Init: Anno domini 1415. feria sexta post *procopij* &c. Saepius relata, ut habes in *Indice*, ad quem frequenter etiam ablego circa Scripta ipsius *Hussi* ibi sub unum conspectum posita, ut iteratis ab uno *Codice* ad alterum remissionibus parcam.

VIII. fol. 56. Epistolae quaedam pertinentes ad *Joh. Hussi* negotium. Harum I. *Joh. Gersonis* ad *Conradum* Archiep. Prag. qui ei per *Petrum de Praga* Codices quosdam dicti *Hussi* examinandos miserat. Promittit Cancellarius eorum examen instituentium a *Cardd. Pisano* et *Remensi*, aliisque *Episcopis* et *Doctoribus*; maxime queritur de *Articulo*: *Quod prescitus et malus Episcopus in peccato mortali nullam habet dominacionem, uel iurisdictionem, uel potestatem super alios de populo christiano, quem e Wiclefianis adoptaverat Joh. Hussus, velut perniciosissimo etiam quo ad omnem civitatis politice conservacionem; censet ostendenda Wenceslao Regi pericula inde emeritura, et addit quorun-*

dam *Articulorum* scriptam a se *Censuram*. *Parisius* 24. Apr. Anno, ut videtur, 1414. II. *Simonis* Card. et *Archiep. Remens.* ad eundem *Conradum*. Deplorat turbas *Bobemiae*, hortatur ad *vigilantiam*, et *obstendum principis*, *Arium*, teste *Hieronymo*, in *Ecclesia Alexandrina* *Scintillam* fuisse &c. Laudat et commendat *Petrum de Praga* latorem praesentium propter labores, quos in causa fidei sustinet. *Scriptum parisius XXVI. mensis Septembr. A. D. M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XIII<sup>o</sup>.* III. *Conradi* *Archiep. Prag.* *Responsum* datum *Joh. Gersoni*. *Gratissimas* sibi futuras ait *Auifaciones et Scripta super extirpacione errorum illius perniciosissimi Heresiarche quondam Joh. Wykleph*, et *Procuratorem* suum *Petrum de Praga* illi et *alme Vniuersitati Parisien.* commendat. *Datum Prage II die Mensis Augusti A. D. M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XIII<sup>o</sup>.* IV. *Excerptum* e quadam *Joh. Gersonis* *Epistola* ad eundem *Conradum*, quod incipit: *Habetis autem brachium potestatis secularis — Wenceslaum — bobemie regem, cui displicere praefatos errores dudum apud nos vulgatum est.* At vero *Wenceslaus*, ut notum, connivebat, et *Conradus* demum ipse in *Hussitas* inclinavit. Ceterum, quas haecenus retuli, *Litteras* nullibi impressas reperi. V. *De Articulis Episcopi (Johannis) luthomisl. oblatis Regi Sigismundo ex parte Concilij.* Brevis conspectus *Epistolae* ad *Regem* datae, qua rogatur *Legatos* ad *Concilium*

1597

P O L E M I C I

1598

Concilium mittere, adfistere contra errores in *Bohemia* gliscentes, significare, si quid cenferet in Clero reformandum; jam enim inceptam esse reformationem Ecclesiae in capite et in membris. Inde liquet has Literas scriptas, missumque *Johannem* intra 12. Nov. et 25. Dec. 1414. Num vero integrae alicubi extent, haud scio. VI. *Litera Consilij constanciens.* *Johanni Episcopo lythomislenfi* directa. Init: *Sacro-sancta &c. dilectis in christo filiis clero ciuitatis et dioc. pragen.* — *Quantam et qualem animis nostris amaritudinem attulerunt ea &c.* Itaque potius *Johanni* in viam data, legitur enim: *Quamobrem fratrem Jo. Episcopum luthomisl. cuius eximias virtutes aperte vidimus et cognouimus ad confirmandos catholicorum et iustorum animos — et eradicandum — curauimus destinare &c.* Cui porro ut omnes adfistant, hortatur Concilium. *Constancie 4. Non. Septemb. 1415. Apostolica sede vacante.* De *Missione* hac video quidem memorare Scriptores, *Credenciales* vero nostras non ad-

*Plaudat chorus fidelium  
Laudes soluendo debitas  
Cuncta regenti Domino  
Per quem victores triumphant.*

Stropharum 6.

XII. *ibid.* Protestatio *Uniuersitatis Prag.* contra Combustionem *Librorum Wiclefi* a *Sbincone Archiep.* celebratam conclusa a. 1410. 15. *Junii in plena*

ferunt. VII. *Literae Vitae Morumque testes datae* cuidam *Auouμω* a *Magistro Civium et Coss. nouae Civit. Pragensis* ad *Protboconsulem et Coss. in B.* Generalis quaedam Formula. VIII. *Titulo Litere satirice* nugax quaedam *Imprecatio Deliae* in *Venatorem*, quae incipit: *Venatus usurpator impertinens &c.* eo fine, ut videtur, confarcinata, ut fibi quis *Vocabula τεχνημα* Artis venatoriae familiaria reddat. Memoratur inter alia *Slawkonis Insula.*

IX. fol. 59. *Protestatio et Appellatio Magistri Johannis Hus a Concilio constanciensi ad Deum supremum Iudicem.* Init: *Quia Deus omnipotens vnus in essentia &c.* Ut alibi etiam cum mentione *Stanislai et Stephani Palecz.*

X. fol. 60. *De ritibus in missa currentibus et de Suffragijs Sanctorum.* Potissimum e *Patribus* lecta.

XI. fol. 63. p. 2. *Ymnus de Magistro Johanne Hus.* In *Ecclesiis* nempe cantandus:

*Qui de gente Boemie  
Mundi vergente termino  
Zelatorem sue legis  
Johannem Hus dedit populo &c.*

*congregatione*, ut ait, et *publicata 21. Jun. ex certis et rationabilibus causis ad euitandum scandala et pericula.* Certe *populo jam Hussi et Adfeclarum concionibus commoto*, qui fibi hic *Academiae*

1599

## C O D I C E S

1600

miae totius auctoritatem adrogarunt.

XIII. fol. 64. Excerpta ex Operibus Job. Hussi de Pace, de Elucidatione suae Fidei, de Sufficientia legis Christi, item e quibusdam Ejus Epistolis jam vulgatis.

XIV. fol. 93. Determinatio Johannis Falkenbergk Inquisitoris heretice prauitatis per Saxoniam et Turingiam ordinis predicatorum professoris sacre Theologie facta in magdeburgk feria IIII. post Martini Anno undecimo &c. Ita ad calcem Scripti, quod incipit: Spiritus autem manifeste dicit, Quia in nouissimis temporibus discedent quidam a fide &c. Ex quibus est frater Johannes Sweydeler de patzkow, Conuentus et hospitalis sancti Johannis Ferosolimitani, Qui a veritate excidens per linguae blandimenta simplicium corda decepit multorum, et ut in errorem mitteret occasione cuiusdam bulle alexandrine infrunite predicauit &c. Sequuntur jam Errores XI. circa Confessionem et Absolutionem sacramentalem, e quibus conficitur, agi hic de Bulla Alexandri V. in favorem Mendicantium edita Pisis a. 1409. quae legitur in Bremondi Bullario Ord. Praed. T. II. p. 501. Multa de Job. Falkenbergio, homine, ut videtur, turbulento in Bibl. Ord. T. I. p. 760. Latuit tamen Bibliothecarios cum tota praefens caussa, tum munus Inquisitoris, quod gessit.

XV. fol. 97. Gregorii VII. Pont. M. Epistolae IV. quibus

superscriptum: Iste Gregorius VII. apostolicus pontifex ordinatus est anno dominice incarnationis MLXXIII. 1) Wratizlao duci bobemorum. Init: Huiusmodi salutacionis nostre consuetudinem &c. et extat in Collect. Labb. Concill. inter Gregorii Epistolas T. XII. edit. Venet. L. VII. n. 11. 2) Vniuersis in Bobemia constitutis. Init: Ex consideracione sedis &c. L. II. n. 72. 3) Wezelino magaburden. (Magdeb.) episcopo. Init: Legimus Josue, cum in populo dei &c. L. II. n. 68. 4) Guilhelmo regi anglorum. Init: Credimus prudentiam vestram non latere &c. L. VII. n. 25.

XVI. fol. 99. Condempnatio librorum Magistri Johannis Wycliff per Concilium constanciense. Rescribe Romanum, quod celebrare adtentavit Johannes XXIII. a. 1412. Init: Johannes — in generali Concilio. Inter omnes Apostolice sedis instancias &c. Habetur in Collect. Concill. supra memorata T. XV. col. 1379. Data IV. Non. Febr. 1413. pro quo Mansus vult IV. Id. Nostrum vero Exemplum ita ad finem, et fortasse rectius: Congregatis &c. die VI. Januarij 1413. fuit per me Gobertum prefata cedula lecta et publicata et per omnes concordata.

XVII. fol. 100. Epistola de Constancia quibusdam Baronibus a Magistro Johanne Hus. Parua fides Titulis. Est Epistola Patrum Concilii scripta Petro de Dibin, Johanni de Ralsko, Wilhelmo

1601

P O L E M I C I.

1602

*belmo et Sigismundo de Dieczin dictis de Vartemberg Regni Boemie Baronibus*, qua convulsum Religionis in *Bobemia* statum, et quo modo cum *Job. Husso Constantiae* actum fuerit, illis ob oculos ponunt, eorum officia in componendis turbis expetunt, commendantque *Jobannem Ep. Lithomisl.* ejus rei gratia ablegatum in *Bobemiam*. Epistolae initium est: *Quantis prouidencijs studijs malicie et nequicie seruiendum &c.* Extat illa in *Opp. omn. Job. Husfi* edit. 1715. T. I. p. 100. sed inscripta *Jobanni de Michelsperg* &c. itaque ἐγκυκλιος fuit.

XVIII. fol. 102. *Job. Husfi* Epistolae V. *bobemice* scriptae, quarum *Prima* exhortatoria ad patientiam et perseverantiam in fide data videtur ad *Henricum* quendam hoc initio: *Giz tie pane mily panu bobu porucziem ge boz sie boi* &c. Caret nota loci et temporis et inter editas non est reperta. Reliquae latine versae extant *Opp. cit.* T. I. a p. 76. hoc ordine: *Secunda* nostra n. XI. *Tertia* XIII. *Quarta* XII. *Quinta* XIV. In fine *Secundae bonum Angelum*, quem *Textus bobemicus* offert, *Interpres latinus* in *bonum et fidelem Germanum* transformavit.

XIX. fol. 107. *Magistri Jobannis Hus* *Copia intimacionis applicata in Ecclesijs in ciuitate Constan.* et post oblata *Concilio* &c. Incipit: *Attendant uniuersi et singuli et presertim hoc Sacrum Concilium generale, Si perfectum est iudicium hominem per deposicio-*

*nem testium qualiumcunque personarum eciam infamium iudicare &c.* Ostenditur id deinceps *Exemplis veteris et novae Legis*, et concluditur: *Debere Hussum libere ad hoc concilium venire ad publicandam suam innocenciam et fidei orthodoxe puritatem et non conculcari in angulo per infames personas et suos graues inimicos.* Nescio, an *Scriptum istud* lucem viderit.

XX. fol. 108. p. 2. *Episcopus (Joh.) Luthomislens.* ad *Konradum Archiepiscopum (Prag.)* scribit ipsum adhortando. Init: *Litteram vestre paternitatis mihi per familiarem meum &c.* Informat de Actis in Concilio; impetrasse se cum Collegis, ut, antequam instituerentur *processus contra adherentes et fauentes isti dampnate heresi*, puta *Wiclefi* et *Husfi*, mittantur *litere sacri concilij exhortatorie amicabile et benigne* ad universos *Bohemiae Ordines*; opportunum fore, ut etiam inde *certi nuncij legales ad sacrum concilium cum plena intencione et adherencia tocius regni dirigantur, alijs regibus et principibus tocius cbristianitatis se conformando*, et alia, e quibus adparet, quantum viro strenuo *salus et existimatio Popularium suorum* cordi fuerit. Data *Constancie feria 5. ante Margarete*, nempe 1415. Impressam non reperi.

XXI. fol. 109. *Papa Jobannes 23tius Sigismundo Regi Vngarie de carcere scribit promotionem ipsius impetrando.* Initium Epistolae datae *Celle Constan. Dioc. die Domi-*

1603

## C O D I C E S

1604

*Dominico 26. mens. May pontificatus anno quinto: Ea salute qua christus omnium salus est &c. Extat in Actis Hardtianis T. IV. P. 3. p. 259.*

XXII. fol. 110. p. 2. *Vniuersitas Pragensis Magistrorum Primati consulibusque lunensibus (Laun) 1416. Significat: Laicorum sub utraque Specie Communionem nequaquam haereticam esse, aut facris Literis repugnare. Init: Dudum pridem antequam vestra scripta conspeximus &c. Non reperi vulgatam hanc Epistolam.*

XXIII. fol. 110. p. 2. *Copia Regis Aragon. ad Regem Sigismundum R. Hungarie. Stimulat Ferdinandus his literis Sigismundum ad sumendam de Hussu, cuius nomen tamen non exprimit, poenam. Initium est: Serenissime Princeps inter alias scripturas et literas per manum meam quandam literam et scripta manu mea Ambaxiatoribus meis mittebam, ut ipsi exhiberentur V. Regie Majestati tenore subsequenti. Mox praemissis utriusque titulis recitat illas Literas, quae incipiunt: Auribus meis venerunt verba tenebrosa, qualiter quidam falsus christianus hereticus ecclesiam dei subuertebat &c. Datae sunt: 28. April. 1415. neque in Actis Concilii repertae. Subdit Codex alias Literas ab Eodem ad Eundem scriptas fuisse eod. anno et die in Caussa Jobannis XXIII. Et reipsa leguntur Colle&. Labb. T. XVI. edit. Venet. col. 828. licet diem ibi praeferant 24.*

XXIV. fol. 111. p. 2. *Δωδεκασιχον lugubre Jobannis mox dicti, quod dedi Cod. CCCCXXII. Hic vero v. 6. legitur informem pro tristem. V. 9. aduersa pro versata. V. 10. numine pro munere. V. 12. ruo pro cado.*

XXV. *ibid. Epistola Magistri Mauritij (de Praga) missa Regi vngarie Sigismundo contra communicantes sub utraque specie. Data est Constancie 21. die mensis Octobr. A. D. 1416. et Regem animat, ne duplicis Speciei usum in Bohemia toleret, nec Baalists deferat, qui vasa vini et panum clibanos (a boh. Chleb?) consecrarent similiter per eukaristie sacrificia, ut eis augetur gratia, quo plus et frequencius potarent &c. Initium: Anxie diuque sustinui, vnde et pigere me fateor &c. Nescio, num imprefa.*

XXVI. fol. 112. p. 2. *Puncta Accusationis Wenceslai Imp. et Soppiae Conjugis in Concilio Const. ut videtur, proposita. Praemissis paucis, quorum initium: Quia si (secundum) B. Jeron. super Ezechiele ad Regem christianum pertinet defensio fidei &c. sequitur: In primis dicitur Quod Serenissimus Dominus Wenceslaus Rex Boemie ex multis caussis de crimine heresis et fautoria eius est vehementer suspectus. Succedunt plusquam 12. Objecta, e quibus saltem Principis gravis torpor et socordia conficitur. Paucioribus urgetur Soppia, et primo quidem: Quod — prefatum Jo. Huss post et contra processus et sententias,*

1605

## P O L E M I C I.

1606

tias, excommunicationes et aggravaciones et Interdicta fouit et defendit &c. Impressa haec non inveni. Inscrubuntur in Codice alia manu: *Querimonia contra Regem Wenceslaum subdola*, et: *Querimonia contra Reginam Boemie Zopbiam minus iusta*. Utramque fortasse *Sigismundus* frater sopiverit. Adhaerent ejusmodi Querelae etiam contra *Nobiles, Milites et Clientes*.

XXVII. fol. 114. Συλλογη *Epistolarum* seu Libellorum supplicum in Caussa Bullae *Alexandri V.* prohibentis Praedicationem Verbi Dei in Capellis *Praagensibus* privatis, et *Wiclefi* Doctrinam datarum ad ejus Successorem *Johannem XXIII.* vel Cardinales ab eo ad *Hussi* negotium discutiendum deputatos, quibus petitur, ne prohibeatur libera Praedicatione, ne *Wiclefi* Scripta comburantur, ne *Bobemia* haereseos suspicione, ut ajunt, infametur, neve *Hussus* se *Romae* fistere cogatur. Hoc igitur communi omnium argumento indicato Nomina scribentium adjicere fat fuerit. 1) *Wenceslai* Regis ad Pontificem. 2) Ejusdem ad *Odonem de Columpna, Henricum Neapolit. Raynoldum de Brancicis*, ceterosque Cardinales. 3) Consulium et Senatorum *Majoris Civit. Prag.* ad Pontificem. 4) Eorundem *Veteris Civit. Prag.* ad Eundem. 5) Eorundem *Novae Civit. Prag.* ad Eundem. 6) *Sophiae* Reginae *Bob.* ad quendam Cardinalem. 7) Ejusdem ad Pontificem. 8) Ejusdem ad Eundem.

Denis Codd. Theol. V. I. P. II.

dem. 9) Ejusdem ad Cardinales. 10) *Lazkonis* Magistri Curiae Reg. *Rom.* et *Bob.* et *Petri* fratris Baronum de *Crawarz* ad Pontif. 11) Anonymi ad Eund. 12) Baronis de *Michalowicz* ad Eund. 13) *Nicolai* Baronis de *Petstein* residentis in *Zampach* ad Eund. 14) Anonymi ad Eund. 15) *Wenceslai* Regis ad Eund. 16) Ejusd. ad *Odonem* Card. *Columnam.* 17) Ejusd. ad Cardinales ceteros. 18) Ejusd. ad M. *Hieronymum Seidenberg* Decrett. Doct. *Romae* negotia procurantem. 19) *Job. Andreae* Med. et Artium Doct. Rectoris Univ. *Prag.* ad Consules *Vienn.* de injuriis illatis *Viennae* M. *Hieronymo* de *Praga.* Vide *Indicem Miscell.* 20) Ejusd. addito alia manu fortasse cognomine *Sfyndel* ad Pontif. 21) *Sophiae* Reg. ad Eund. 22) Ejusd. ad *Odonem* Card. *Columnam.* 23) *Wenceslai* Regis ad *Job. Nase* J. V. D. Romam. 24) *Sophiae* Reg. ad Cardinales. 25) *Jacobi de Sobieslauia* Rectoris Univ. *Prag.* ad Archiepiscopum *Prag.* ut M. *Johannem Cotwik* de *Praga* Universitatis magistrum et suppositum vinculis solvat. 26) *Job. Hussi* ad Pontif. *excusativa*, ut habet inscriptio, *a comparitione personali.* 27) Ejusd. ad Cardinales. 28) *Epistola* describens *edificium Ecclesie Apostolice* &c. Vel *Hussi* vel cujusdam Discipulorum. 29) *Epistola* de Regula fratrum *omnia abrenunciantium.* Ejusdem rationis. 30) *Job. Hussi* ad Regem *Poloniae A. D. M<sup>o</sup> CCCCXII.* In die *Barnabe.*

C c

Gaudium

1607

C O D I C E S

1608

Gaudium de ejus cum *Sigismundo* Rege concordia et investivae in Clerum, ut ait, haeresi et fimoniam depravatum. Signata: *M. Job. bus sacerdos christi inutilis*. Quamvis jam de supplicibus hisce Literis *Hussitismi* Historiam non parum illustrantibus mentio fiat in *Narratione* T. I. *Opp. Hussi* p. 109. impressa, earum tamen

prelo vulgatarum nihil haecenus mihi occurrit praeter eas, quas *n. 1.* et *n. 27.* indicavi, quarum priores in *Raynaldi Annal. Eccl.* ad an. 1409. posteriores *T. Hussi* mox cit. p. 117. legi possunt. Scriptae vero sunt omnes intra an. 1409 — 12. atque huc ita transcriptae, ut Librarium cum Comico interrogare possis:

*An, obsecro hercle, habent quoque Gallinae manus?  
Nam has quidem Gallina scripsit.*

XXVIII. fol. 126. Repertorium alphabeticum variarum Sententiarum Theologicarum, levis momenti et non nisi affectum.

XXIX. fol. 142. p. 2. *Decreta* IV. quorum 1) *Concilij Constantiensis* contra communionem utriusque speciei. Editum in *Sess. XIII.* et relatam T. XVI. *Concill. Labb.* edit. *Venet.* col. 218. Adjectae nobis notae chronologicae: *XV. die Junij que erat dies sancti viti — M<sup>o</sup>CCCCXV<sup>o</sup>.* Quibus placuit Librario addere: *Eo anno Magister venerabilis Hus combustus est in Constancia propter veritatem et maliciam Cleri quam detexit Et contra Antichristum se opposuit usque ad mortem.* 2) *Concilij basiliensis* contra communionem utriusque ex precepto et contra Indicem in *Egra compactatum.* *Sess. XXX. X. kal. Januarij — M<sup>o</sup>CCCCXXXVII<sup>o</sup>.* Addidit alia penna: *Iaki su. brzi zdrzeli Compactata.* Quasi dicas: *Prout adhaeserunt Compactatis.* Utrumque *Cochlaeus Historiae Hussit.* L. 8. p. 305. inseruit.

3) *Concilij Basiliensis* monens *Sigismundum Imperatorem* ut communionem parvolorum cessare faciat. Init: *Sacrosancta &c. Carissimo ecclesie filio Sigismundo &c. Clamore publico deferente perpendimus displicenter Quod in aliquibus partibus Regni tui lactantibus pueris sacra Eucharistia ministratur &c. Datum Basilee XVIII<sup>o</sup> kal. februarij Anno domini M<sup>o</sup>CCCCXXXVII<sup>o</sup>.* Subjunctum et hic praedicta penna: *Gize su zemrzelj y scesarzem a tobo nedowedli.* Id est: *Jam sunt mortui una cum Caesare, et hoc non effecerunt.* Ceterum Scriptum istud impressum non reperi. 4) *Eugenij pape* de translatione *Concilij Basiliensis* in *Ferrariam* (i. *Ferrariam*) *Salvis tamen Compactatis inter Bobemos et concilium factis.* Non est nisi Excerptum Bullae *Eugenii*, quae integra prostat *Collect. Concill. supracit.* T. XVIII. ubi col. 881. verba nostra leguntur: *Pro loco dicti concilij transferendi nominamus et assignamus &c.*

XXX.

1609

P O L E M I C I.

1610

XXX. fol. 145. *Tractatulus cuiusdam de sectis hereticorum Theotonicorum.* Potius F. Reynheri O. P. *Compilatio de Waldensibus*, et aliis adfinibus Fanaticis, prout jam *Codd. CCXC.* et *CCCXXVIII.* indicavimus. Sed multum haec *Exempla* et inter se, et ab eo, quod *T. XXV. Bibl. PP. Lugd. p. 262.* exhibetur, variant, ut non nisi ex omnibus rite collatis *Opus integritati* suae restitui posse videatur, ita et addita et infarcta varia, et *Rubricae Titulive* pro arbitrio *Librariorum* aucti, subtracti, translati sunt. *Initium: Audistis quod antichristus venit &c.*

XXXI. fol. 166. *De Erroribus aliorum.* Alia manu. *Initium: Sequentes articulos tenuerunt et crediderunt turungi (Thuringii) in sangerbaußen prout immediate ipsorum iuramento professi sunt in iudicio coram Religioso viro fratre Henrico Schomyelt (Schonevelt) ordinis fratrum predicatorum et sacre Theologie professoris ac heretice prauitatis auctoritate apostolica inquisitoris et assessoribus principis thuringie &c.* Recitantur deinceps *Articuli 42. Sectae Flagellantium* adtributi, propter quos sub finem multi utriusque sexus combusti dicuntur in *Sangerbaußen Anno Domini M<sup>o</sup> CCCXIII.* Peccatum in anno, rescribendum-

que 1414. Confer *Chr. Schoetgenii Comment. de Secta Flagellant. p. 72. 73.*

XXXII. fol. 168. *Tempore interdicti que sint facienda.* Breviter. *Initium: Tempore Interdicti potest fieri commendacio animarum decedentium &c.*

XXXIII. fol. 169. *Sermo ad Clerum Magistri Jacobelli factus in Missa ad Sanctum Michaelem.* Per 2. columnas scriptus incipit: *Hec omnia dabo tibi, si cadens adoraueris me &c.* et relatus fuit alibi. Hic vero ad calcem anno 1410. adfigitur.

XXXIV. fol. 181. *Tractatus polemicus ἀκεφαλος*, cui alia manus inscripsit: *Descriptio tabularum Christi et Antichristi*; ad calcem vero lego: *Explicit novus et antiquus color.* Est porro mens *Autoris κατ' ἀντιλογίαν* exhibere doctrinam Christi et modernae Ecclesiae Rom. Ita *Tabula quarta*, nobis prima incipit: *Primus* (quasi dicas, testis) *de No Co.* (i. e. Novo Colore) *Non est a plebe arguendus uel accusandus episcopus, licet sit inordinatus &c.* — *Secundus de ve* (teri colore) *Quis ex uobis arguet me de peccato &c.* Sic proceditur per IX. *Tabulas*, quibus adnectitur *Curia Christi, Modus Curie Romane*, et hic quidem versu:

*Curia vlt marcas, bursus exbaurit et archas.*

*Si bursē parcas, fuge papas et patriarchas &c.*

Demum *Sedes*, nempe *Antichristi*, qui *Nostro Pontifex Rom.*

est. In *Balei Catalogo Opp. Wiclefi* video *Libb. II. de Christo*

et Antichristo. Verum, ne pronuntiem, obstat Exempli nostri mutila conditio.

XXXV. fol. 186. p. 2. *Tractatus contra communionem utriusque speciei ad vulgus in Constantia editus, et, ut visum cuidam, falsus.* Ad calcem tribuitur *Magistro Mauricio de Praga*, et dicitur *correctus per Michaelem de Broda Theutunica promotorem in Causis fidei Constanciae editus Sub Anno Domini M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XVII<sup>o</sup>.* Initium est: *Apostolica docet sententia de viatrice sancta et uniuersali ecclesia &c.* Ut alias. Nunquid *Michael* ille *Promotor in Causis* fit *Michael de Cauffis*, de quo frequenter queritur *Huffus* in *Epistolis*, et meminit *Historia Hussi* T. I. edit. *suprac.* p. 6.

XXXVI. fol. 196. *Magister Borotin* scribit *magistro Rokyczane consilium dans.* Ita: *Ad te michi sermo est o vir prudens et sensate, qui in alta huius inclite Ciuitatis constitutus specula specularis attendis et prospicis, quid sibi nocere possit uel prodesse &c.* Tota paene *Epistola* infumitur in describenda functione praecipuarum humani corporis partium, unde tandem ex observata autumnii et hiemis praeteritae, verisque praesentis temperie, coelique influxu monet *Noster Rokyczanam* et alios *Pragae in specula constitutos* salutis urbis invigilare. *Astrologum* videas et, qui aevo illo plurimum cohaerebant, *Medicum.* Data est *Epistola* 1438. 13. *Apr.* Aliam ejusdem ad eundem *metricam* anni 1435. e *Cod. Ms. Cle-*

*mentino* memorat *Balbinus Bob. doctae* P. II. p. 288. *Scriptorem* que *Jobannem* adpellat.

XXXVII. fol. 197. *Incipit sermo Sinodalis Magistri Johannis dicti Hus.* Columnis duabus. Ut in *Indice.* Initium: *In omnibus me defectuosum reperiens &c.* Extat etiam edit. *cit.* P. II. p. 39.

XXXVIII. fol. 209. p. 2. *Sermo ad Clerum Magistri Hus.* In illud: *State succincti &c.* Ut in *Indice*, et edit. *cit.* P. II. p. 47.

XXXIX. fol. 221. *Sermo ad Clerum Magistri Johannis Hus.* In illud: *Dixit Martha ad Jesum, domine si fuisses hic &c.* Ut in *Indice*, et edit. *mox cit.* p. 76. Ad calcem nobis: *Explicit sermo de exequijs animarum magistri Johannis sanctae memoriae de huffinecz Baccal. formati in Theologia quem predicauit in vulgari* (itaque non ad Clerum) *Anno domini 1411. circa festum omnium sanctorum.*

XL. fol. 229. p. 2. *Scriptum Magistri Johannis przibram de certis punctis.* Sunt vero illa: *de beate Marie et Sanctorum in celo regnancium pro nobis oratione et interpellacione. 2) de purgatorio et mortuorum suffragio. 3) quod Cristiani debent religiose consignare se signaculo Sanctae crucis.* Atque has Positiones ad mentem Catholicae Ecclesiae ex ipsius *Wiclefi* scriptis probat ad *Amicum*, quem rogat, ut eas suo cuidam *Adversario* exhibeat cum voto: *Vtinam saltem ex suo Magistro Wyklef, cui magno affici-*  
tur

1613

P O L E M I C I

1614

*tur animo, velit se ipsum agnoscere et passiones suas utcumque contra me temperare. Promissum enim sibi ab illo fuisse in loco sacramenti, quod si talia wyglepb scriberet, nollem, inquit, sibi credere tanquam mendaci et dyabolo. Initium est hujusmodi: Gratia omnipotentis induere vitam christi et mandata eius iugiter adimplere. Quia virorum sapientum et constantium semper fuit &c. Ad calcem: Scriptum in Strziewro per M. Johannem de przibram. Itaque in patria Jacobelli, qui fortassis ille Johannis Adversarius fuerit; non enim Petrus Payne, quem in ipso Scripto tanquam Wiclefo consonum citat. Scriptum anno circiter 1427. adfigi poterit, quo tempore Przibramius a variis erroribus jam redierat.*

*XLI. fol. 232. Collatio cujusdam. Habita, ut videtur, Pragae in Actu quodam Academico in illud Luc. ult. Duo ex discipulis ihesu ibant &c. unde Autor opportunitatem arripit differendi de conferentibus et nocentibus regno et vniuersitati hominum, immixtis etiam verficulis; parum tamen ad rem. Ita queritur de iis, qui conferre putant, ut audiant usque meridiem confessiones et iurgia vetularum, et dum de nocentibus agit, meminit martirum, quorum nec peruetusta est memoria videlicet Magistrorum Jo. H. et Jeronimi de praga, quos nil aliud in odium publicum traxit, nisi aduersus hos confictum mendacium &c.*

*XLII. fol. 237. Ejusdem Differtatoris Collatio de duabus communitatibus vna pragensi et alia taboriensi. Alloquitur hic Reuerendos patres, amabiles fratres, Socios caros et si qui aduenere inclitos puerulos, aitque de conferentibus et nocentibus locutum semel, locutum et altera vice. Communitates illi sunt: vna pragensium sub nomine Jerusalem pacifice significata, pacem querens pacem postulans pro pace se et sua in omnem euentum sicut cernitis exponens. — Altera uero thaboritarum ymo verius dyabolitarum sub nomine babilonis confuse turbide et prope mortem distrafiata (sic) dampnabiliter figurata.*

*XLIII. fol. 244. Adlocutio de Officio Archidiaconi habita ad Decanos, Plebanos, Capellanos et Rectores Ecclesiarum a quodam, qui ait: se electione institutione confirmatione et quavis dispositione venerabilis Capituli et Administratorum Ecclesie Pragensis — in Archidiaconum et prelatum sublimatum. E locis Jur. Can. compilata post an. 1421. quo Administratores coepere.*

*XLIV. fol. 246. Differtatio de Jure Canonico hoc initio: Sicut liberalium arcium disciplina suorum elementorum traditionem desiderat, ita Jurispericia canonumque scientia suarum institutionum insinuationem appetit et affectat &c. Agitur potissimum de diversis ejus Collectionibus.*

*Codicem non parum laboris exhibentem praeit membrana Sec. XIV. exhibens p. 1. Versus 33. e*

C c 3

Coel.

1615

CODICES

1616

*Coel. Sedulii Operis Pasch. L. IV. exeunte, videlicet a V. Gnarus item Dominus &c. ad V. Aetbe-reas subuectus &c. qui collati cum*

*Bibl. PP. Lugd. T. VI. p. 471. nihil emendationis offerunt prae-ter verfum:*

*Rite toris; an corde Petrus se diligit alto,*

quem Nofter rectius scribit

— *an corde Petrus se diligit, an non.*

P. 2. erasis praecedentibus restant sequentia Disticha:

*Primus ad yma ruit magna de luce superbus,*

*Sic homo cum tumuit, primus ad yma ruit.*

*Vnius ob meritum cuncti periere minores.*

*Saluantur cuncti vnus ob meritum.*

*Sola fuit mulier, patuit qua ianua leti.*

*Ex qua uita redit, sola fuit mulier.*

*Frater iniquus erat, iustum \* qui perculit olim.*

\* Abel.

*Dampnator christi frater iniquus erat.*

*Transitus \* ille monet, quid prima amisit origo.*

\* Enoch.

*Quid uentura notent, transitus ille monet.*

*Archa leuatur aquis, homines ne perderet equor.*

*Ne pereant homines, archa \* leuatur aquis.*

\* Christus.

*Sume pater populos pro nati vulnere cunctos.*

*Cum tradis christum, sume pater populos.*

*Hostia summa patris tacitis signata figuris*

*Quam referat christus, hostia summa patris.*

*Claudicat ecce videns, \* dominum dum preualet heres, \* Jacob.*

*Aspera gens christum, claudicat ecce videns.*

*Repulit ille \* famem districtus crimine fratrum*

\* Joseph.

*Venditus est christus, repulit iste famem.*

*Perfide \* corde peris, dum vastant omnia plage.*

\* Pharao.

*Dum cessant plage, perfide corde peris.*

*Agnus ab hoste sacer reuocauit sanguine patres.*

*Sanguine nos refert agnus ab hoste sacer.*

*Obruit unda nephas populo gradiente per equor*

*Nunc mundi populis obruit unda nephas.*

Reliqua, quae fortassis omnes V. periere. An haec *Hildegerto Ce-*  
T. figuras *Christo* applicabant, nom. tribuenda?

CCCCXIX.